

pontifex falsa illorum opinione in errorem adductus fuit, vt statueret (*l*), officium iudicis aliquando pro *actione* vel *petitione* vel *persecutione* esse, non aliter illud dari reputarunt, nisi obligatio praecedat ex *aequitate*, non etiam ex partium *consensu*. Praeterea distinctionem quandam, inter officium iudicis *nobile*, ac *mercenarium* commenti sunt (*m*), illudque propterea, quod nulli actioni adiungitur, per se subsistere, hoc vero, quod actionibus inferuit, ei competere dixerunt, qui actionem quidem habet, sed non sufficientem. Quas vero gerras hisce tricis excitauerint propediem, vt spero, dicendi occasio subministrabitur. Hac enim vice, vt prolixior sim, instituti ratio non permittit, interim haec nunc praelibasse, non omnino inutile erit.

Hanc vero occasionem scribendi mihi suppeditauit

V I R

PRAENOBLISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS
HONORVM DOCTORALIVM CANDIDATVS
DIGNISSIMVS

HERMANNVS GEORGIVS BVNNEKAV

L V B E C E N S I S.

De cuius vitae studiorumque ratione, cum quedam hic dicenda sint, loco praefaminis ista adiicere placet, verbis, quibus ipse ea consignauit.

Natus sum, inquit is, in hanc lucem *Lubecae*, anno Saeculi P. C. N. XXIX. die secunda mensis Maii. Patrem diuina prouidentia dedit HERMANNVM BÜNEKAV, quondam ad D. Aegidii in patria Archi-Diaconum, Virum,

dum

(*l*) *Cap. 2. X. de Offic. iudic.*

(*m*) *vid. Io. Sam. Stryck Dissert. de clausul. salutar. libell.*
Cap. 1. n. 16. sq.